

mundi spatium in medio duorum tropicorum Cancri et Capricorni interclusum; et dicitur *torrida*, id est adusta propter nimium calorem solis ibi decurrentis, cum sit exposita directis radiis ipsius solis ad perpendicularum illi imminens. Hæc comprehendit 47 gradus latitudinis; unde sub ipsa habentur hæc loca, nempe Cambaja, India, Insulae Oceani Indici, Java, Ceilannum, Peruvia, Mexicana Hispania, magna pars Oceani Atlantici, Insula S. Helenæ, Brasilia, Nova Guineæ, et aliæ plures provincie.

(155. Zona temperatæ inter unum tropicum, et circulum polarem sibi proximum jacent; dicuntur *temperatæ* a temperie caloris, et frigoris ibi vigente, quia cum sol non perveniat illuc concentibus radiis directis, adest ibi temperata aer. Duæ sunt, quarum una *temperata borealis*, seu *septentrionalis*, et altera *temperata Australis*, seu *Meridionalis* nuncupatur. Temperata borealis est illud terræ, seu mundi spatium comprehensum inter tropicum Cancri, et circulum polarem arcticum; temperata australis est illud terræ, seu mundi spatium contentum inter tropicum Capricorni et circulum polarem antarcticum; hæc feliciores sunt aliis, magisque habitabiles, præsertim nostra borealis, seu australis, quia alia fere tota in aqua consistit; utraque comprehendit 43 gradus latitudinis: in zona temperata boreali continetur fere tota Europa, maxima pars Asiæ, et Americæ Septentrionalis, ac Oceani Atlantici et Pacifici: in temperata vero Australi jacet pars Africæ, Monomotapa, Promontorium Bonæ Spei, Portio terræ Magellanicæ, Brasiliæ, et Chili, Fretum Magellanicum, et magna portio Oceani Atlantici, et Indici et Pacifici.

(156. Zona frigida sunt inter polos et circulos arcticum, et antarcticum; dicuntur *frigida* ob intensissimum frigus ibi vicens, eo quia ipsæ sint præ aliis remotiores a via solis, cujus radii, utpote sic remoti, non habent sufficientem virtutem temperandi maximum illius aeris rigorem. Etiam ipsæ duæ sunt, una *Septentrionalis*, seu *Borealis*, et alia *Meridionalis*, seu *Australis*. Frigida Septentrionalis est illud terræ, seu mundi spatium inter circulum arcticum, et polum item arcticum comprehensum: meridionalis vero est illud terræ, seu mundi spatium inter circulum antarcticum, et polum item antarcticum contentum: utriusque latitudo tanta est, quanta circulorum polarium a suis polis respective declinatio, nempe graduum 23 cum semisse, seu cum 30 minutis. Sub circulis polaribus, ubi incipiunt zonæ frigida, longi dies æstatis sunt 24 horarum; sol vix pervenit supra horizontem, quod iterum se elevat, et in hieme et contra vix ipsis apparet, quod integre egrediatur. Progrediendo postea versus polos, inveniuntur dies longi ut hebdomadæ, inde ut menses, et tandem ut integri sex menses, simul, ita ut adsint, qui non computant, nisi unum diem, et unam noctem in toto anno, maxime si velimus sumere diem pro eo tempore, quo sol

est supra horizontem, quia tunc verum erit, quod sub polis sex continuis mensibus adest dies, sexque aliis continuis adest nox. Alias, si velimus vocare diem totum illud tempus, quo aliquo modo illuminamur a sole, debemus asserere, quod ibi nunquam est nox, quia, licet non videatur sol, videntur tamen albore, quando a redundantibus vaporibus non suffocantur; sicque posset hoc modo dici, quod sit ibi perpetuus dies, quia nunquam se declinando sol sub ipsorum horizonte plus 23 graduum cum semisse, seu cum 30 minutis, quæ est sua major declinatio, creditur posse transmittere suam lucem, producendo in hieme perpetuum crepusculum. Advertendum tamen est, quod tenendo illum diem sic longum usque ad sex menses, umbra meridiana, quæ quibuscunque 24 horis redit ad suum locum, inservit ibi habitantibus pro computando tempore, illud ita distinguendo, ut possint se conformare cum Ecclesia ad sciendum, quando occurrant vigiliæ et festivitates pro eorum observantia, ne ab ipsa credantur exempti. Zona frigida septentrionalis continet dimidiam Irlandiam, partem Norvegiæ, et Lapiæ, Finmarchiæ, et Samoedæ, Novam Zemblam, Groelandiam, Spitzbergam, ac partem incognitam Americæ Septentrionalis; loca autem comprehensa a zona frigida australi, sunt adhuc plane incognita, ut ex mappis geographicis constat.

(157. Discussis sphaeræ circulis, de ejus divisione aliqualis venit tradenda notitia. Ex diversa igitur habitudine æquatoris ad horizontem dividitur sphaera in rectam, obliquam, et parallelam. (158. Sphaera recta ea est, cujus horizon per æquatoris, seu mundi polos arcticum et antarcticum transit, atque ideo æquatorem ipsum, omnesque circulos illi parallelos bifariam, et ad rectos angulos dividit. (159. Sphaera obliqua ea est, in qua horizon oblique, sive ad angulos inæquales æquatorem, omnesque circulos, qui sunt illi paralleli, dividit, itaque ex eo, quod per æquatoris, mundi que polos non transeat, sed eorum alterum supra se perpetuo conspicuum, alterum infra se perpetuo latentem detineat. (160. Sphaera parallela est illa, in qua horizon rationalis cum æquatore congruit, ita ut utriusque circuli iidem poli sint, ac proinde *zenith*, et *nadir* loci a mundi polis arctico et antarctico minime distinguantur, et circuli paralleli æquatori, paralleli quoque sint horizonti.

(161. Ex his clare habetur, quod duo sola sunt in terra puncta, quæ possunt habere sphaeram parallelam, id est sub duobus polis, arctico et antarctico; et una sola est linea, quæ habet sphaeram rectam, id est sub æquatore. Totum autem residuum est in sphaera obliqua.

(162. Habitantes in sphaera recta habent perpetuo æquinoctia, id est dies, et noctes semper æquales. Habent in anno octo tempestates, nempe bis æstatem, et bis hiemem: bis ver, et bis autumnum; Quamvis tamen istæ octo non sint ita differentes, uti nostræ quatuor, quia sol non ita longe re-

cedit ab ipsis, sicuti recedit a nobis.

(163. Habitantes in sphaera obliqua habent æquinoctia bis solum in anno, et dies, ac noctes semper inæquales: vident aliqua sidera perpetuo supra horizontem, uti sunt quoad nos illa versus polum arcticum, suntque alia aliis perpetuo latentia sub horizonte, uti sunt illa versus polum antarcticum, in majori, vel minori numero, prout sphaera est magis, vel minus obliqua.

(164. Habitantes in sphaera parallela non habent nec æquinoctia, nec solstitia, quia unicum habent diem, et unicam noctem in toto anno, juxta dicta supra n. 152 et 156. Vident perpetuo sidera aliqua supra horizontem; et plurima alia infra horizontem perpetuo illis delitescent.

(165. Tradita quadam notitia de iis, quæ spectant ad mundum in communi, nunc breviter venit tradenda etiam aliqualis cognitio de iis, quæ spectant ad mundum cœlestem, nempe de cœlis et astris, cum sint principiaiores, et nobiliores partes mundi. Cœlum igitur in veriori etymologia originem ducit ab hoc verbo Græco *κοῦμος*, quod idem significat, ac latine verbum hoc *sculpo*, eo quod cœlum ob siderum varietatem, quibus ornatur, cœlatum, sive sculptum appareat, unde *Ecclesiastici* XLIII, 10, dicitur: *Species cœli gloria stellarum*: quamvis aliqui nomen cœli deducant a *celando*, eo quod cœlum cooperiat, et abscondat ab oculis nostris, quæ continet.

(166. In sacra Scriptura nomen cœli varie usurpatur. Interdum usurpatur ad significandam aeris regionem, sic *Psal.* VIII, 9, ibi: *Volucres cœli*, et *Psal.* XLIX, 11, ibi: *Volatilia cœli*, et *Psal.* CXLVI, 9, ibi: *Qui operit cœlum nubibus*, et alibi pluries consimiliter. Aliquando pro statu Ecclesiæ militantis, *Matth.* XIII, 24, ibi: *Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen*, et 31, ibi: *Simile est regnum cœlorum grano sinapi*, et 32, ibi: *Simile est regnum cœlorum fermento*, et 44, ibi: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito*, et 45, ibi: *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori*, et 47, ibi: *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari*, et sæpe alibi pariformiter. Unde sanctus Gregorius Papa, homil. 12 in *Evangel.*, expresse dicit: « Sæpe in sacro eloquio regnum cœlorum præsentis temporis Ecclesia dicitur. » Multoties autem usurpatur pro solo cœlo empyreo, prout est sedes, et merces beatorum, quod per antiochiasiam denominatur simpliciter cœlum; sic *Matthæi* V, 3 et 10, ibi: *Ipsorum est regnum cœlorum*, et 12, ibi: *Merces vestra copiosa est in cœlis*, et VI, 20, ibi: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo*, et XVIII, 3, ibi: *Non intrabitis in regnum cœlorum*, et 10, ibi: *In cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*, et alibi passim similiter. Proprie vero, et ad institutum nostrum, sub nomine cœli intelliguntur omnes orbis cœlestes, vel potius quidquid corporum inclusive existit supra regionem lunæ; sicut enim corpora infe-

riora, quæ sub luna existunt, dicuntur *mundus elementaris*, et ob hoc dicuntur *sublunaria*, sic omnia corpora, quæ sunt supra cœlum lunæ vocantur cum ipso simpliciter *cœlum*, unde *Gen.* I, 1, dicitur: *In principio creavit Deus cœlum et terram*; et *ibidem*, 8: *Vocavitque Deus firmamentum cœlum*, et 10: *Et vocavit Deus aridam terram*. (167. Unde cœlum sic captum, « est corpus simplex per se incorruptibile elementa involvens sua magnitudine, sideraque intra se, ut locus ipsorum naturalis, complectens. »

(168. Cœlum, sicut et mundus, quoad substantiam durabunt in æternum, licet quoad accidentalialia sint immutanda: sic August. lib. XX *De civitate Dei* cap. 14; S. Gregorius, lib. XXVII *Moral.*, cap. 1, et alii sancti Patres, et doctores passim, conformiter ad sacram Scripturam, *Psal.* CXLVIII, 5 et 6, ubi habetur: *Ipsè dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt; statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi, præceptum posuit, et non præteribit*. Et *Ecclesiastes* I, 8, præcise dicitur: *Terra autem in æternum stat*; et III, 14: *Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverant in perpetuum*. Quod autem debeant immutari quoad accidentalialia, habetur ex eadem S. Scriptura, *secunda Petri* III, 10, ibi: *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, et quæ in ipsa sunt opera, exurentur*; et consimilibus.

(169. Nec valet objicere, quod cœlum, terra et mundus nedum quoad accidentalialia, sed etiam quoad substantialialia totaliter destruentur, ut habetur *Isaiæ* LV, 17, ibi: *Eccè enim ego creo cœlos novos et terram novam*; et *Apocalypsis* XXI, 1, ibi: *Et vidi cœlum novum, et terram novam. Primum enim cœlum, et prima terra abiit: et mare jam non est*; et *Matth.* XXV, 35, ac *Marci* XIII, 13, ibi: *Cœlum et terra transibunt*.

(170. Non valet, inquam, quia illud *Isaiæ* sic est intelligendum, nempe *creo cœlos novos et terram novam*, id est novum mundum, puta metaphoricum, nempe Eccles. Christi, quæ multo amplior, ornatio et augustior est Synagoga, et est quasi novus mundus, ut passim explicant sancti Patres, ac clare deducitur ex numero immediate sequenti ipsius *Isaiæ*, nempe LXV, 18, ubi sic sequitur *quia ecce ego creo Jerusalem*, id est Ecclesiam Christi *exultationem*, id est exultantem, et *populum ejus gaudium*, id est gaudentem. Illud vero *Apocalypsis*. *vidi cœlum novum et terram novam*, accipiendum non est quoad substantiam, sed solum quoad accidentalialia, qualitates, et ornatum: sic *primum cœlum*, seu quod fuit prius quoad motum suum, quoad eclipses, quoad influentias, jam abiit, id est cessavit, ut et *prima*, quæ nunc est *terra*, quoad generationem, et corruptionem, et omnem aliam alterationem, et *mare* simili modo *jam non est*, quale fuit vetus illud elementum, turbidum, crasum, mixtum, procellosum, fluctibus hor-

ridam, et hujusmodi, sed erit deinceps plane quietum, tranquillum, serenum, purum, subtile, pellucidum, et instar crystalli resplendens, ut communiter intelligunt sacri interpretes. Sic illud *Matthæi et Marci, cælum et terram transibunt*, intelligendum est de mutatione, renovatione, et transitu accidentali, aut morali, non de physica, et substantiali totali; id est non debet intelligi, quod cælum, et terra debeant transire quantum ad entitatem substantialem; bene vero quoad qualitates nobiliores, quas cælum, astra, et elementa accipient post ultimum diem iudicii; sunt enim post diem iudicii, tantopere perficienda, ut jure dici possint cælum novum, et terra nova, juxta illud *Isaie xxx, 26*, ibi: *Et erit lux lunæ sicut lux solis et lux solis erit septemplex sicut lux septem dierum*, id est intensa, quanta est lux septem dierum, seu septemplex major quam nunc est: idque, ut post diem iudicii divina majestas per elariorem totius machinæ cælestis, et utriusque hemisphæri illuminationem, in æternum magis resplendeat.

(171. Circa cælorum numerum variæ fuerunt opiniones. Aliqui enim antiqui solo sensu ducti, sine speculatione respicientes solem, lunam et stellas omnes in uno solo cælo, unicum cælum admittebant. Alii octo esse volebant, septem pro septem planetis, et octavum pro stellis fixis. Alii nonum cælum addiderunt pro primo mobili, cui fuit assignatus motus, qui prius supponebatur octavæ sphæræ. Plurimi autem volunt undecim esse cælos, decem scilicet mobiles, et unum immobile, istud nempe empyreum; illi vero primum mobile, crystallinum, firmamentum, et postea septem planetarum orbes, quos vocant cælum Saturni, Jovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii, et Lunæ. Communior autem, probabilior, et sacræ Scripturæ conformior sententia docet cælos esse tantum tres. Primum, seu infimum cælum est aereum, et complectitur tantum illud spatium, quod lunæ subjectum est: secundum, seu medium cælum est sidereum, et constat undecim orbibus cælestibus; tertium, seu supremum est cælum empyreum, ubi sedes et paradus est beatorum: sic S. Damascenus lib. II *De fide*, cap. 6; Theophylactus, Pomerius a Lapide, et alii citati, ac secuti a doctissimo Tirino in *II Epistola S. Pauli ad Corinth.*, cap. XII, 2, et plurimi alii conformius sacræ Scripturæ in citat. *Epistola*, XII, 2, ubi S. Paulus fatetur se raptum fuisse usque ad tertium cælum ibi: *Scio..... raptum hujusmodi usque ad tertium cælum*, id est usque ad supremum cælum, quod est empyreum, seu paradus, ut ipsemet indicat *ibid.*, 4, dicens: *Quoniam raptus est in paradusum; et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

(172. Astrum, seu sidus, aut stella, est corpus simplex solidum, ac lucidum per se, circulariter mobile. (173. Astra, seu sidera, quæ sunt nobiliores partes cælorum, et præcipua mundi ornamenta, alia sunt fixa, et

alia errantia, seu erratica; fixa vocantur stellæ et errantia, seu erratica appellantur planetæ. (174. Stellæ vocantur *fixæ*, non quia sint stabiles, sed quia in suo motu eosdem semper conservant aspectus, eandemque semper distantiam, et ordinem inter se servant; planetæ vero appellantur *errantes* seu *erratici*, quia varie discursitant per signa cælestia; nec ullam observant constantem dispositionem inter se, aut cum stellis fixis, sed variis cursibus, nunc illis, nunc istis se adjungunt, modo accedentes, et modo recedentes huc, illucque discurrentes.

(175. Planetæ a fixis stellis tripliciter distinguuntur ac discernuntur. Primo, quia planetæ sunt nobis viciniore, unde insigniter grandescunt, cum oculi telescopio muniti ipsos intuentur; stellæ vero fixæ sunt a nobis remotiores, adeoque perexiguæ nobis videntur præ maxima ipsarum a nobis distantia. Secundo, quia stellæ fixæ lucem tremulam ac scintillantem vibrant et effundunt, planetæ vero quietam, et uniformem perpetuo edunt. Tertio, quia stellæ fixæ, ut dictum fuit, eandem semper inter se distantiam, ordinem, ac situm servant, planetæ vero situm, ordinem, et dispositionem semper variant, et in hoc præcipue distinguuntur.

(176. Stellarum fixarum multitudo, quamvis tanta sit, ut jure dicat S. August., lib. XVII *De civitate Dei* cap. 23: « Scripturarum auctoritatem contemni ab eo qui existimat se stellarum numerum comprehensisse; » Deus enim dixit Abrahamo, *Genes. xv, 5*: *Suspice cælum et numera stellas, si potes*; rursusque *xxii, 19*: *Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli et velut arenam quæ est in litore maris*. Attamen aliqui ex astrologis et mathematicis cum Hipparcho mille et 22 stellas constituunt, quibus deinde quatuor addit Ptolemæus, alii cum Tycho et Keplero mille 163 numerant; alii cum Ricciolo et Grimaldo mille 468; alii cum Bayero 1625; alii cum Burthio 1662; alii cum Hevelio 1888, ac tandem alii cum Flamstedio usque ad 3000 earum numerum auxerunt. Hæ autem omnes, ut facilius distinguerentur, atque ab omnibus dignosci possent, in varias constellationes diversis figuris, seu signis expressas, distributæ fuerunt; ut in globis videri potest. Istæ constellationes a Ptolemæo, aliisque veteribus astronomis ad 48 erant determinatæ, a recentioribus autem additione aliarum 18 ad 66 sunt adauctæ.

(177. Dictæ stellæ fixæ distinguuntur ab astrologis et astronomis in sex classes diversæ magnitudinis: quindecim tantum dicunt esse illas primæ classis, seu magnitudinis primæ, centies septies, et adhuc plus excedentes magnitudinem istius terræ; quadraginta quinque volunt esse illas secundæ classis, seu secundæ magnitudinis, terræ magnitudinem nonagies, et adhuc plus superantes; ducentas, et octo illas tertiæ classis, seu tertiæ magnitudinis, septuagies bis, et adhuc plus terræ magnitudinem excedentes; quadringenta septuaginta quatuor illas

quartæ classis, seu quartæ magnitudinis, quinquagies quater, et adhuc plus magnitudinem terræ superantes; ducentas septemdecim quintæ classis, seu quintæ magnitudinis, terram in magnitudine tricies sexties, et adhuc plus vincentes; quadraginta novem illas sextæ classis, seu sextæ magnitudinis, decies octies, et adhuc plus terræ magnitudinem excedentes. (178. His sex stellarum fixarum classibus, post inventionem telescopiorum Galilæi, adinventæ est septima quarundam aliarum stellarum exiguarum, et nebulosarum, quæ inter alias sunt illæ *Via lacteæ*, seu circuli lactei, aut galaxiæ sic densæ, ac spissæ, quod nudis oculis cælum in illa parte velut alba fascia devinctum ostendant. Hæc *via lactea* nomen desumpsit a fabula, quod Juno eam suo lacte madefecisset, cum retraxit mamillam ab ore Herculis, quem ei supposuerat Jupiter. Hanc lacteam viam Aristoteles inter meteora habuit, et vulgus illam denominat iter, seu viam S. Jacobi Galitiæ.

(179. Planetæ, seu sidera errantia, aut erratica, sunt tantum septem, nempe Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Jupiter et Saturnus; his planetis majoribus minores quidam alii adjunguntur ad instar satellitum, sed qui telescopio duntaxat conspici possunt; quatuor autem gyraunt circa Jovem, qui ipsum perpetuo comitantes, ob id vocantur ab astronomis Jovis asseclæ, comites, laterones, et aulici, quia continuo gradiuntur cum illo, non quidem omnes æquali circuitu, sed alii viciniore, et alii paulo remotiore. Totidem etiam gyraunt circa Saturnum; et forte suos asseclas, seu comites habent alii planetæ adhuc nobis ignotos. Jovis satellites, seu quatuor exiguas stellas Jovem comitantes detexit primus omnium Galilæus anno 1610 easque in honorem serenissimæ Medicææ familiæ, cui devinctissimus erat, *Medicæa sidera* nuncupavit; primumque *Catharinam*, secundum *Mariam*, tertium *Cosmum majorem*, et quartum *Cosmum minorem*, appellavit.

(180. Ex dictis septem planetis alii sunt terra majores, et alii minores. Luna est terra minor triginta novem vicibus; Mercurius Planetarum minimus est minor terra ducentis novemdecim vicibus; Venus est terra minor septuaginta tribus vicibus; Sol autem omnium planetarum major, sicut et stellarum fixarum, est major terra centum sexaginta sex vicibus. Mars est terra major una vice cum dimidia: Jupiter est major terra nonaginta quinque vicibus: Saturnus denique est terra major nonaginta et una vice; terræ vero ambitus secundum certiorum, et receptiorum opinionem est 21 millia, et 600 miliariorum Italicorum, juxta dicta supra n. 112, ubi allatæ sunt aliæ aliorum opiniones de magnitudine ambitus, seu circuitus terræ; sicuti et aliæ sunt ab allatis opiniones de magnitudine planetarum et stellarum fixarum. Unde advertendum est quod dictæ astronomorum supputationes debent haberi, non ut mensuræ, sed ut æstimationes conjectantis animi, ut

inquit Plinius lib. III. Et quod in his mensuris aliquando excedit, et aliquando deficit aliquid. (181. Variarum autem mensurarum, et supputationum ratio sequentibus versibus breviter indicatur:

Quatuor ex granis digitus componitur unus,
Est quater in palmo digitus, quater in pede palmus.
Quinque pedes passum faciunt, passus quoque
centum
Viginti quinque stadium dant: sed miliare
Octo dabunt stadia; duplicatum dat tibi Leuca.

(182. Quantum ad motum stellarum fixarum et planetarum, notandum est quod omnia sidera motu communi moventur supra polos primi mobilis spatio 24 horarum; at vero, præter istum motum communem, habent suum specialem motum, quo diverso, breviori, longiori temporis spatio, suam circulationem perficit singulis mensibus, seu intra 27 dies, et dimidium circiter; Sol, Venus et Mercurius in uno anno; Mars in duobus annis: Jupiter in duodecim annis; Saturnus in triginta annis, et stellæ fixæ in triginta sex mille annis, secundum Ptolemæum, aut in quadraginta novem mille annis, secundum recentiores, et hanc circulationem Plato vocabat *magnum annum*.

(183. Ut dignoscantur planetæ a planetis, notandum est, quod post solem et lunam, qui ab omnibus sine telescopio cognoscuntur, Venus quoad apparentiam est major, sic candida, et clara, ut videatur parvus sol, quoniam cum sit illi viciniore, fortiores, ac majores recipit reflexus, unde ad ejus lucem corpora sæpe etiam noctu umbram efficiunt, et etiam diu aliquando videtur, signanter quando magis distat a sole; cum apparet mane, *Phosphorus*, aut *Lucifer*, cum autem vespere, dicitur *Hesperus*. Jupiter est fere ejusdem magnitudinis quoad apparentiam ac Venus, sed non sic resplendens; et de facili distinguitur a Venere, quia hæc nunquam recedit a sole plusquam 48 gradibus, Jupiter vero ad 180. Mars apparet, ut ignitum ferrum, differens a Jove et Venere, ratione suæ exiguitatis, rubieunditatis, et obscuritatis. Saturnus differt a Marte, quia multo plus altius apparet, estque coloris plumbei, pallidi, hypochondriaci. Mercurius est observatu difficilior ratione suæ instabilitatis, et quia gyrat semper circa solem, a quo sæpius operitur. Cum est in sua majori distantia, quæ est 28 graduum, apparet valde luminosus, sed multo exiguus.

(184. Advertendum tamen hic est, quod ea, quæ diximus de numero, magnitudine, et motu stellarum ac planetarum, deque diversitate cælorum et ambitu terræ, solum conjecturaliter sunt habenda, et non certitudinaliter credenda. Solus enim Deus, qui creavit cælum et terram; *Gen. I, 1*. Qui præcipit soli, et non oritur, et stellas claudit, quasi sub signaculo; qui extendit cælos solus, *Job IX, 7* et 8. Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat; *Ps. CXLVI, 4*: *Et omnia in numero, pondere, et mensura*

disposuit; Sap. xi, 21. Horum omnium nobis absconditorum est cognitor; Daniel. xiii, 42. Unde ipsemet arguit Job audentem ista attingere: Respondens autem Dominus Job de turbine dixit: Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? Job xxxviii, 1 et 2. Nunquid nosti ordinem cæli, et pones rationem ejus in terra? Ibid., 33. Quis enarrabit cælorum rationem? Ibid., 33.

(185. Hinc, ne et nos cum astrologis et astronomis tot cælos mendaciis repleamus, verum cælum empyreum, unicam beatorum sedem ac paradysum studeamus in veritate honorum operum animabus nostris replere: illuc igitur duntaxat oculos mentis nostræ dirigamus, juxta id, quod piissima Machabæorum mater ultimo suo nato sanctissime suadebat: Peto, nate, ut aspicias ad cælum (II Machab. vii, 28). Non enim alia de causa Deus erectam faciem nobis concessit, quam ut oculos in cælum perpetuo defixos habeamus: ut cognovit ipsemet gentilis Ovid. l. ii Metamorph., ibi:

Os homini sublimè dedit, cælumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

(186. Satagamus unice veras, perpetuasque cæli felicitates inquirere, et falsas, ac fugaces, miserisque mundi vanitates contemnere, juxta celebre canticum mei vulgo beati Jacoponi Tudertini in Annalibus nostris Wadinganis, t. VI, an. 1307, n. 12, fol. 79 et 80, ultimæ Romanæ impressionis typis Rochi Bernabo, ibi:

Cur mundus militat sub vana gloria,
Cujus prosperitas est transitoria?
Tam cito labitur ejus præsentia,
Quam vasa figuli, quæ sunt fragilia.
Plus crede litteris scriptis in glacie
Quam mundi fragilis vanæ fallaciæ
Fallax in præmiis virtutis speciæ,
Qui nunquam habuit tempus fiducia.
Credendum magis viris fallacibus,
Quam mundi miseris prosperitatibus,
Falsis insaniis, et vanitatibus,
Falsisque studiis, et voluptatibus.
Dic, ubi Salomon olim tam nobilis?
Vel ubi Samson dux invincibilis?
Vel pulcher Absalon multum mirabilis?
Vel dulcis Jonathas multum amabilis?
Quo Caesar abiit celsus imperio?
Vel dives epulo totus in prandio?
Dic ubi Tullius clarus eloquio?
Vel Aristoteles plenus ingenio?
Tot clari proceres, tot rerum copia,
Tot mundi principes, tanta potentia,
Tot ora præsulum, tot mundi fortia
In ictu oculi clauduntur omnia.
Quam breve festum hæc mundi gloria,
Ut umbra hominis sunt ejus gaudia,
Quæ semper subtrahunt æterna præmia,
Et ducunt hominem ad dura devia.
O esca vermium, o massa pulveris,
O nox, o vanitas, cur sic extolleris?
Ignoras penitus, utrum cras vixeris?
Fac bonum omnibus, quamdiu poteris.
Hæc carnis gloria, quæ magni penditur,
Sacris in litteris flos femi dicitur.
Vel leve folium, quod vento rapitur;
Sic vita hominis hæc vita tollitur.
Nil tuum dixeris, quod potes perdere.
Quod mundus tribuit, intendas rapere,

Superna cogita, cor sit in æthere,
Felix, qui potuit mundum contemnere.

(187. Hinc juvat etiam afferre, quæ refert ad contemptum mundi meus alter vulgo beatus Bernardinus de Bustis in secunda parte Rosarii, serm. 27, in fine. Legitur de Alexandro Magno, quod cum mortuus esset, venerunt septem philosophi ad palatium ejus, et unus illorum dixit: « O Alexander, heri dominabaris toti mundo, et hodie mors dominatur tui. » Secundus dixit: « O Alexander, heri non sufficiebat tibi totus mundus; hodie sufficiunt tibi duæ ulnæ. » Tertius dixit: « O Alexander, heri habebas comitivam dominorum, regum, principum, et ducum, ac famulorum; et hodie solus jaces in sepulcro. » Quartus dixit: « O Alexander, heri te omnes timebant; hodie te nullus mortuum timet. » Quintus dixit: « O Alexander, heri vocem tuam omnes libenter audiebant; hodie morte devictus jaces in sepulcro, et non vales loqui. » Sextus dixit: « O Alexander, heri tot regna habebas in tuam potestatem, hodie tenet te mors in suo dominio; herique eras pulcher et decorus, hodie vero es turpis, et horribilis ad videndum. » Septimus dixit: « O Alexander, heri comedebas tot cibaria delicata, hodie factus es cibus, et esca vermium. » Legitur quoque, quod Diogenes philosophus ad sepulcrum ejusdem imperatoris Romani profectus, videns illum mortuum, postea discipulis suis dixit: « Intuitus sum cadaver Cæsaris, et vidi eum livido colore coloratum, putredine circumdatum, alvum ejus diruptum, et vermium catervas per illum discurrentes, duo famelici pasebantur in foveis oculorum, crines non adhærebant capiti; dentes patebant labiis consumptis, et dixi: « Ubi est, o Cæsar, chorus puellarum, magnitudo divitiarum, caterva baronum, acies militum? Ubi sunt canes venantes, equi veloces, aves rapaces, thalamus depictus, lectus eburneus, argentum, et aurum? Ubi sunt mutatoria vestimenta, cibaria diversa, canticum lyræ, organorum sonitus, odor aromaticus? Te verebantur homines, timebant principes, colebant urbes. Ubi est tanta potentia, tantaque præclara facta, et tanta magnificentia? » Et respondit mihi: « Hæc omnia defecerunt in me, quoniam defecit in me spiritus meus, et reliquerunt me miserum in hoc sepulcro circumdatum putredine carnis meæ. » Ideo exclamat quidam versificator dicens homini vano:

Si tibi pulchra domus, si splendida mensa, quid inde?
Si species auri, atque argenti massa: quid inde?
Si tibi sponsa decens: si sit generosa: quid inde?
Si tibi sint nati: si prædia magna: quid inde?
Si fueris pulcher, fortis, divesque: quid inde?
Longus servorum si serviat ordo: quid inde?
Si doceas alios in qualibet arte: quid inde?
Si rideat mundus: si prospera cuncta: quid inde?
Si prior, aut abbas: si rex, si Papa: quid inde?
Si rota fortunæ te tollat ad astra: quid inde?
Annis si felix tu regnes mille; quid inde?
Tam cito prætereunt hæc omnia, quæ nihil inde.

Sola manet virtus, qua gloriificabimur inde.
Ergo Deo servi, quia sat tibi provenit inde.
Quod fecisse voles in tempore, quo morieris,
Hoc facias juvenis, dum corpore sanus haberis:
Quod nobis concedat Deus noster. Amen.

(188. In hoc enim mundo cuncta sunt pulvis, cuncta apparentes prospectivæ, et cuncta sunt nihil: nam nihil firmum, et non lubricum in hoc orbe.

Omnia mutantur, stabile hic nil permanet unquam,
Consistitque nihil, quo fuit ante loco.
Omnia mutantur sursum, deorsumque volutant.
Oceani ut fluxus, utque refluxus eunt.
Est sic fortunæ flatus, subitusque reflatus:
Hic rerum varius circulus esse solet.

Id quoque habetur in § Ut autem lex, Authent., De non alienandis rebus Eccles., ibi: « Quid enim est stabile inter homines, cum omnis noster status sub perpetuo motu versetur? » Et in his terminis nostræ humanæ instabilitatis, nonnulla adducit piissimus, et doctissimus Franciscus Viv. in Silv. comm., opinion. 1042, ubi n. 11, sequentia habet:

Unde superbi
Quid sumus nisi li
De limo homo pri
Sortem vitare nequi
Si nos terra est
Terra quid nisi fu
Ergo nihil su
Ideo studea
Ut parati si

(189. Hinc Apostolus ad Galat. vi, 14, melius quam alii mundani, sibi consultus aiebat: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo; id est mihi absit ut in alia re glorier, vel gaudeam, quam in cruce Christi, scilicet in fide, gratia, memoria, prædicatione beneficii crucis, et tribulationibus, atque ærumnis ejus causa subeundis; per, et propter quem Christum crucifixum mundus mihi crucifixus est, nam mundum abominor, ac si cadaver esset latronis crucifixi, sicut vice versa ego crucifixus sum mundo, qui me simili modo abominatur, et exhorret, ut egregie explicat abbas Pinusius, item S. Aug., Ambros., Theophil., Anselm., Bernard., et S. Thomas, quos citat et expresse sequitur sapientissimus Tirinus in cit. Epist., cap. 6, n. 14.

(190. Mundum ideo vult Dominus calamitosum esse, ut non debeat diligi, ideo spinosum, ut non debeat amplecti, et ideo ruinosum, ut timeamus ei inniti; Ugo de S. Victore in Ecclesiast., cap. 7, secutus a Lancellotto nell' Oggidì, t. II, in fine; mundus diligitur, et amarus est; si dulcis esset, qualiter amaretur? S. August., serm. 11, relatus a Lancellotto, loc. cit. Et infinita consimilia ad mundi contemptum possent adduci, quæ brevitatibus gratia omittuntur.

(191. Ad uberiorem mundi notitiam referre præstat, quæ de mundo muliebri in Scriptura, et in jure habentur. Esther enim u, 3 dicitur, quod puellæ virgines, et

speciosæ regi Assuero quæsitiæ, ut magis ei placerent, deberent induere mundum muliebrem; ibi: Et accipiant mundum muliebrem; inter quas præ cæteris placuit ei Esther, et præcepit eunuchis ut acceleraret mundum muliebrem, et traderet ei partes suas. Ibid., 9. Et Ezechiel xvi, 7, arguit Dominus Jerusalem, quod ingrata conversa fuerit ad idololatriam, postquam eam impleset, et ditasset tot bonis, ut perveniret ad mundum muliebrem; ibi: Et pervenisti ad mundum muliebrem; et ibid., xxiii, 30, ei impropere, et ornata es mundo muliebri.

(192. Mundus muliebris dicitur, quo mulier mundior sit; l. Argumento 25, § 10, ff. De auro, argento, mundo, ornamentis; mundus enim muliebris dicitur est quasi munditia; Varro, De lingua Latina, 4.

(193. Mundi muliebris nomine continentur specula, matulæ, unguenta, vasa unguentaria, et similia, veluti lavatio, viscus, etc., cit. l. Argumento, § 10. Mundi muliebris nomine non continentur unguenta, quibus valetudinis causa ipsæ mulieres, sicuti et homines unguentur cit. l. Argumento, § 12.

(194. Mundo muliebri legato, non continentur ornamenta muliebria, et monilia, in quibus insunt margaritæ, et gemmæ, nec vestes; sed continentur argentum, vel aliud, quod paratum est ad lavandam, vel balneandam mulierem; l. Pediculis 32, § Titia, ff. eod. Mundo muliebri legato, continentur ea sola, quæ ex his utendi causa uxori sunt tradita a viro, l. Si uxori 39, ff. eod. Mundo muliebri legato, non continentur varia pertinentia ad mundum, quæ testator, cum esset vascularius, aut faber argentarius, ad vendendum habebat, cit. l. Si uxori. Mundo muliebri legato uxori, si nihil ad usum mulieris sit datum, vel destinatum, debetur ei quantum ad ejus usum sufficit. Glossa in cit. l. Si uxori, verb. Tradita.

(195. Ad complementum adde, quod mundus regitur auctoritate Pontificia et regali potestate, text. expresso in cap. Duo sunt 10, dist. 96, ubi Gelasius Papa ad Anastasium imperatorem sic habet: « Duo sunt quippe, imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum et regalis potestas. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem; » et ibi multa subjungit de auctoritate et excellentia Pontificum supra imperatorem et reges. Et concordat Glossa prima in Authentico. Quomodo oporteat episcopos, in princip., ubi expresse dicit, quod « mundus totus regitur ex sacerdotio et imperio; unde ecce duo gladii hic. »

(196. Hinc Papa, ut vicarius Christi, et caput visibile universalis Ecclesiæ, habet totum mundum pro sua diocesi, et spirituali dominio, cathedram, seu sedem suam habet in urbe Roma, quæ, ut volunt Corradus, in Prax. dispensat., lib. ii, cap. 7, n. 51; Mandos., De regul. cancell., regul. 16, quæst. 41, n. 7; Ursaya, Instit. criminal., lib. i, tit. 7, n. 7, et alii, in medio mundi posita est. Quod tamen alii negant, dicentes medium